



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 209. Et induunt eum vestimentis suis. v. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

tus sim, tibi absque defectu adhæream, te timeam & amem, tibi gratias agam, te laudem & benedicam hic & in perpetuum. Amen.

§. 208. *Exuerunt eum purpura. v. 20.*

Quando Duces & Reges ad bella procedunt, tunc solent sæpius habitum Regalem mutare, ne à quolibet nauci homine agnoscantur & in ipsos uti cor exercitus collimetur ad mortem. Hanc cæremoniam etiam fanniores isti in Christo Domino nostro voluerunt exprimere & ideo purpura eum exuerunt. quibus verbis & modis id fecerint ridiculi illi, cogitet deuotus Christianus, qui talia aliquando in Depositionibus Scholasticorum spectauit.

Domine Iesu, istam purpuram si contingeret nos obtinere, omnia auri & argenti vasa & omnem monetam & vestes pro ea offerremus, tam nobis cara cæpit esse, quia tu eam sanctificasti, tuo attractu quicquid enim tu tangis sanctificatur. O purpura si tu intellexisses in quo homine tu fuisses suspensa certe nunquam ab eo te diuelli passa fuisses, sed pertinaciter adhæsisisses ei in æternum.

§. 209. *Et induunt eum vestimentis suis. v. 20.*

Iam regali habitu spoliatus erat Dominus, & quod dederant milites, subito etiam abstulerant, cum suis iterum induitur indumentis. Nolebant Iudæi ut Christus crucifigeretur in purpura, ne posterii dicerent, eos Regem Iudæorum crucifixisse, sed exuentes eum purpura, curarunt indui vestimentis suis, toga scilicet inconsueti, & alijs, ut in his educeretur ad conflictum cum diabolo, de mundi principatu occupando.

Bene, & valde, bene facitis Iudæi, quod Saluatorem exutum purpura, suis pristinis induitis vestimentis, quia sic obstruitis ora loquentium mendacia, quasi non ille Christus qui pertransiit benefaciendo, sed alius passus fuisset. Ecce si non ex facie, certe ex veste agnosci potest sic vos ipsi regnum Christi promouetis nescientes.

§. 210. *Et educunt illum ut crucifigerent eum. v. 20.*

Postquam omnia quæ excogitari poterant malitiæ & nequitie in Domino exercuerant, eum capiendo sine causa, ligando, falso accusando, castigando, flagellando, coronando, cum iniquis comparando, morti adiudicando, multoties induendo & exuendo varijs & stultis vestibus, ut dolores continuo innouarentur, nec mors secuta usque huc, eam omninò iam irrogatam volunt & quidem amarissimam & ignominiosissimam crucis, quæ ut sequatur de facto eum iam educunt, propria onerantes vulnera-